

lere Paulus Samofatenus tentasset, ægre id tulerunt Patres Synodo Antiochena collecti.

§. III. A primis igitur nascentis Ecclesiæ temporibus, præter Psalmos, & Sacram Scripturam, hymnos etiam extitisse, dubitari vix potest. Hoc unum dolendum est, quod ex omni eorum numero vix unus & item alter restat, utpote CLEMENTIS Alexandrini Ὕμνος Χριστοῦ, ad calcem libri tertii Pædagogici adjectus, (b) quem tamen cœtibus in sacris cantatum fuisse, merito dubitamus. Deinceps Ἐσπερινός, seu *vespertinus*, quem multi ad Athenogenem, auctorem, referunt, & a Plinio, Lucianoque, ubi carminum Christianorum, mentionem injiciunt, respici arbitrantur. Quod etsi pro certo non habeamus, sufficit tamen, eundem ἀρχαίαν Φωνήν, a BASILIO, (i) vocari, & διὰ τὴν τῆς χρόνης ἀρχαιότητα commendari. Denique Ἐωθινός, seu *matutinus*, extat, quem & EPIPHANIVS (k) adducit, & ATHANASIVS (l) virginibus, ceu notissimum juxta & vetustissimum, commendat. Præter veteres hosce, τρισάγιον, quoque, ὕμνον ἀγγελικόν, χειρβικόν, ἐπινίκιον, Κοντάκια, ὑπερευλογημένην, μεγάλην δοξολογίαν, μακαρισμὸς ex Matth. V. aliaque id genus, decantari, ex Hymnologis eorum, HEINECCIUS docet. (m)

§. IV. Latinis *Ambrosiani* cito recepti fuerunt in Canonem, (scilicet Ecclesiastici cantus in Occidente) ad quos cum alii ab aliis, PRVDENTIO nempe, SEDVLIO, VENANTIO, reliquis, adjicerentur, ne hos quidem temere ab-

(b) Vid. OO. ejus f. 267. edit. Paris. (i) Lib. de Sp. S. ad Ambiloch. c. 29. T. II. OO. f. 314. (k) in Ancorato. p. 466. (l) vel quisquis Libri de Virginitate, T. I. OO. f. 633. auctor est. (m) L. III. de Eccles. Græca, c. 4. §. 18. p. 270. sq.